

Lombardus, pulcher homo, longæ staturæ, putans aliqua lucrari, secutus est eum. Quidam nomine Venutus, juvenis & parvæ staturæ nimium, & sine lancea vel aliquid in manu, quia a somno excitatus dormiens, in ipso burgo cum pugnis exponens se contra istum magnum. Homo iste longus ipsum parvum cepit in suis ulnis: ipsum, velit nolit, portans extra domum ipsam. Sed videns se sic portari, & carens omni potentia & defensione, se erexit contra Lombardum: & illico ore aperto ipsum cum dentibus acutissimis per nasum capiens, potenter ipsum laniando & stringendo taliter ipsum duxit & induxit; quod extensis manibus ipsum illasum a se libenter alio abire permisit. Sed ipse priusquam ab eodem relaxatur..... totus ex gravi dolore deturpatus, & (quod ita loquar deterius) permerdatus est: & se reddidit eidem. Qui Venutus postmodum per ora vicinorum vocatur Facin can. Illum Longobardum secum carceratum ducens permerdatum in Castro, taliter quod omnibus magnus fœtor erat talis, qualis unquam fuerat de tali putredine: quem penes per tres dies ob ejus verecundiam in Maniaco fervavit, ut eo modo cognitus foret & truffatus cum naso toto lacerato. Et præteritis ipsis tribus diebus, tunc receptis sibi armis, non libenter, quia taleam ab eo nolens; sed per multos rogatus eum abire permisit, quia pro talea passus fuit dedecus & damnum.

De cujus captivitate ipsis de Fana suisque gentibus satis fuit dolor & tristitia in illa hora, in qua ignem imposuerunt in burgo prædicto; videntibus nostris XL. fociis, qui stabant in custodia currum, ignem positum in dicto burgo fore accensum: tristitia maxima commoti, eoque non aderant, confidentes solummodo insultum fore datum, illico venientes versus Castrum ipsum. Cum fuerunt in Magredo Colveræ sub Centa Ecclesiæ B. Mauri Patroni Maniaci, fenserunt gentes ipsas euntes Fanam: & venientes superius prope stratam Campi, obvaverunt certis portantibus unum puerum ætatis annorum V. Dixerunt, qui estis? Et illi quoque, qui estis vos, quis vivat? Dominus Paduæ? Et nostri dixerunt: vivat felix liga Utinensium, & moriatur currus. Et sic nostri invaserunt eos: & illi pauci erant. Tamen puerum filium Andreæ Merlettæ qui præfens istis erat, & conductorem pueri cum tribus aliis ceperunt: eosque quatuor captivos habuerunt. Et in his verbis nostri audientes rumorem in Villa, dubitaverunt ulterius procedere contra istos; putantes, nos erimus conficti, si majorem discessionem incipimus contra istos, quia major pars gentium est in Villa. Et nisi hoc fuisset, multos ex ipsis de Fana læsisset: & sic ipsi de Fana viliter, & cum tristitia recefferunt a nobis.

Nostri vero venientes in Villa, invenerunt Petrum Pilonum, Contestabilem fociorum XXV. in Bastita positum contra nos de Maniaco ad nostram læsionem; hominem fortem, intimidum, & audacem, qui cum suis gentibus villicis stantibus in ipsa Bastita, & aliis contra nos ab alio latere versus Occidentem, insultum dederunt. Et nostri cum ipsis mixti erant; & supervenientibus nostris, quia foras extiterunt, potenter contra istos de Bastita bellum acerrimum inceptum est. Tamen ipsi de Bastita dare terga nostris coacti sunt... ex vulnere gravi facto uni Contestabili ex suis; & ex aliis pluribus de suis læsi sunt, aliqui cum telis, aliqui cum lapidibus. Qui sicut fecerant illæ gentes de Fana, verecundanter a nobis recefferunt. Ex nostris vero nullus, gratia Domini, læsus est. Ipsi vero cum fuerunt in eorum Bastita, post pusillum ipse probus eorum focius mortis transitum consummavit; & ex ipsis multi re-

perti sunt vulnerati. Et sæpissime nostri euntes ad Bastitam contra ipsas gentes, quæ ibi stabant, sæpissime per nostros lædebantur: & ex ipsis capti ducebantur in Maniaco; & de ipsis animalibus multa ducebantur in Maniaco.

Sed redeundo ad primum; illico in recessu D. Nicolai, & ejus gentium de Fana, certi ex nostris fociis in suo recessu de Maniaco, se induabus partibus dividentes, iverunt in Villam Aunedu, & subito ipsam cremaverunt in ea hora, in qua D. Nicolaus arma exuebat: & statim altera pars similiter Villam... invadentes; & talem lucem ipsi fecerunt, taliter quod ad disponenda eis arma ipse cum tota familia visum habere potuit satis lucidum, & splendidum. Quod videns D. Nicolaus fremit, intra se dicens: illi de Maniaco non multum superfederunt in faciendo eorum vindictam de offensa eis facta; & non solum ipse, sed & omnes rustici ejus pavidum facti sunt. Et videntibus nostris fore in guerra cum ipsis de Fana, qui nos de Maniaco pro nihilo habebant, & nos reputabant pavidos contra ipsos fore; putantes, nos statim facere declinare parti ipsorum. Quilibet de nostris animum ferventem assumens, & lætabundum contra ipsos de Fana & gentes ipsorum, & ad eorum destructionem invigilantes, potenter intraverunt ipsam Villam Fanæ ad visitationem iniqui Consultoris D. Christophori Abbatis, assidue invigilantis, penes ipsum Nicolaum & gentes ipsius: & qui, ut nobis ostensum fuit, ignem in Castagneto majori de nocte imposuerat pro læsione nostra; quia non aliter poterat nos plus offendere. Ejus, & cæterorum domos de Fana circa ipsam Abbatiam, & ultra totaliter cremaverunt sine ullo obstaculo alicujus personæ de suis; ipsamque Abbatiam taliter fumigantes, & liquore thuris non imposito, nec myrrhæ: tamen fumus non solum ad cælum coram Deo ascendens, verum se & per terram extendens, ex ipsius odore multi lætanter sumpserunt.

Altera autem die nostri prædicti modum imponentes inter se ipsos ad offensionem prædictorum inimicorum nostrorum, ut decet in talibus bonis homines, vel ad rastellum Mizzæ euntes, ibi plura animalia derobaverunt, & unam pulchram mulam Presbyteri Blasii, & certos de Fana captiverunt, quos secum duxerunt cum ipsis animalibus. Et a rastello ipso inferius Villam integraliter cremaverunt. Contra quos pavidum facti ipsi de Fana, nullus se contra nostros se extendere ausus fuit: & sic secum nostri de Maniaco oneraverunt de masseritia ipsorum per canipas, quia sufficienter reperiebant in eis, & domum lætanter venerunt.

Uno altero die nostri intrarunt montes, sentientes ipsos de Fana cum eorum gentibus prope Aunedum.... pro fœno ivisse: qui, dum se nostri in nemore..... contra prædictos posuissent; & illi de Fana, sed non omnes fœno equos.... onerassent, nostri ex nimia ardoris voluntate impetum contra prædictos facientes, & insultum nimis subitum, & ante debitam horam, quod ex ipsis ceperunt XIII. cum equis. Reliqui vero ex ipsis insultum facientes, ac clamorem suorum audientes, relictis fœnis, & fœno, & fascibus fœni; ac aliqui relictis equis ibidem, velociter ex equis descendentes fugam per nemora & colles capientes, tali timore inducti, quod non audentes ad subsidium suorum concurrere, imo nec retrospicere ausi sunt, qui eos persequerentur. Et sicut fugam arripere timore nimio inducti sunt inimici nostri versus Fanam, dicentes: omnes colles esse munitos gentibus infinitis. Et copiosa inimicorum